



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 311. Euntes ergo docete omnes gentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

id est non credentes, sed dubitantes in spe, in caritate nutantes, hos illo argumento erigit, solidat, confirmat inculcando, quod sibi soli data iam esset quidem omnis potestas in cœlo & in terra, sed non amplius ut mortali, & quam potestatem haberet à Patre Deo, iam deuicto peccato, diabolo, mundo, carne, sua morte communicaturum, ideoque iam triumphator & gloriosus appareat in æternum sic mansurus, iudex viuorum & mortuorū: & sic omnis fiduciæ & virtutum posuit in Ecclesia fundamentum. quis enim ausit mori pro virtute nisi id fundamentum esset à Christo positum.

**D**omine mi Iesu, data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra, Ergo mortis & vitæ es Dñs, ergo absoluendi potestatem habes & ligandi mittendi in gehennam, & saluandi, gaudeo, & congratulor tibi & mihi totis ex viribus, cum exultatione inenarrabili: Te ergo talem agnosco, te Talem saluto, ante maiestatem tuam cordis genua flecto cum omni humilitate & reuerentia petens gratiam & misericordiam tuam ut hic in spe & caritate solide tibi innitar, vt lapidi fundamentali & in cœlis merear te videre & frui potestate tua & gloria.

§. 311. *Euntes ergo docete omnes gentes.*

Confirmatis discipulis in monte de eius certa potestate & Regno ob-  
victoriam, & donum patris accepto, ordinat regnum suum, in omnem Ec-  
clesiastico ordine terrarum orbem propagandum, vili quidem secundum  
hominum iudicia modo, nempe per prædicationis stultitiam, sed quæ re-  
vera effectu secuto, sit apparitura virtus Dei. ait igitur; Euntes, id est Apo-  
stoli, missi, certi ad hoc munus destinati Angeli, docete omnes gentes, do-  
centes omnem illam veritatem, per totum terrarum orbem, idque ex cha-  
ritate non ficta & obedientia cæca, de castello in castellum, de prouincia in  
prouinciam, regno in regnum non cessantes, donec vos & posteri vestri  
consummaueritis orbem terræ, vt & ipsi mereamini gloriam regni cœlestis  
per labores & alij vestra opera adiuti eandem consequantur.

**D**omine si ita est, vt non nisi euntes, missi, legati debeant docere: ecce  
paratum cor meum, & omnia membra mea, mitte, moue, remoue  
impedimenta tua gratia vt non cessent, ego vel alij missi prædicare & docere  
nomen sanctum tuum quod sit omni momento super me benedictum in  
sæcula. Amen. Sed & mi Domine, quare permittis tot etiam alios non mis-  
sos, nec euntes, sed sedentes in suis concupiscentijs honorum & commodo-  
rum quæstum docere, qui se dicunt Apostolos & non sunt? Nescio quid hic  
cogitem: nisi oportet esse hæreses; permitti zizania vt per hæc probentur  
electi. Acquiesco, sed tamen deprecor hanc cladem & ruinam animarum.

Bb 3

DO

Potestate habita à patre mittit discipulos ad docendum Evangelium Dei, nemo enim potest prædicare verbum Dei nisi missus à potestate habente: atque ideo dat eis potestatem per Verbum (Docete) scilicet quæ audistis & vidistis non voluntates, & affectus cordis vestri, nec ad inventiones vestras sed meas sicuti docti estis, & ut à Deo inspirati Prophetæ, sancti patres, tot retro sæculis, ut quem illi nascendum crediderunt, iam natum agnoscunt, & doctrinam eius per vos, simul & mysteria cuncta quæ de ipso Prophetæ pronuntiarunt, esse completa, docete, nec solum Judæos sed & omnes gentes in genere, & specie prout vobis ordinabitur in tempore tuo.

**D**omine quia incapax & inutilis sum ad docendum, nam homo peccator sum nimis, & memetipsum docere non valeo tua præcepta quin et sæpe transgrediar. Congaudeo tamen & faveo his omnibus qui à te missi toto orbe terrarum docuerunt olim & etiamnum docent, in Europa, Asia, Africa, India sive in Scholis, sive in tēplis, sive privatis colloquiis & orationibus, Sodalitiis, Catechismis. Da eis, Domine virtutem ad annuntiandum veraciter, persuadendum efficaciter, operandum constanter, eripe oblecto tot animarum millia ex faucibus inferi & mortis æternæ. Ad te confugio à quo omnis virtus & gratia: da gratiam ut ex hac hora me emendem servando præcepta tua quæ custodiri præcepisti nimis, sic dando bonum exemplum in opere: tunc superaddes gratiam, ut doceam verbo Evangelium sanctum tuum.

§. 312. *Baptizantes eos.*

Postquam sufficienter edocti fuerint in doctrina & mysteriis fidei applicate etiam Sacramenta Ecclesiæ eiusdem à baptismi Sacramento incipientes sine quo cætera Sacramenta non prosunt, & sine quo in recepto nemo in Ecclesia Christi visibili esse potest, & sine quo in voto nemo ne quidem in numero FF. Dei: iuxta illud Ioannis Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto non potest intrare regnum Dei, potest siquidem quis triplici modo baptizari flumine, flamine & sanguine. flumine admodum Christi Iesu in Iordane per Ioannem Baptistam, flamine ad modum Apostolorum in die Pentecostes, sanguine ad modum Martyrum per Tyrannos: flumine quod erit communius in Ecclesia, spe vel voto in causa necessitatis, sanguine in causa iustitiæ, Christi & Ecclesiæ.

**D**omine per hoc baptismi Sacramentum intravi in Ecclesiam tuam, & factus sum membrum eius cuius caput tu es & non alius præter te nisi quem tibi vicariam asceveris, Tu doces hoc Sacramentum suscipere & iubes doceri